

1772.

no. 9

1. Hinrich, Christopherus Gral: *De forma impiorum Rom. Germ.*
2. Humpel, Dr. Augustus: *De iustitia pauperum ap. Galinam, praesertim in criminis justi periculis et tertio secundum constitutionem Carolinam et ius Hamburgense.*
3. Humpel, Dr. Augustus: *De transmissione iuris sue. cedenti antecessoris morte non detinatur.*
4. Reichardt, Dr. Aug: *De nomine iugentiae confessionis ad Victoriam, secundum Art. VII inst. pac. Osnabrig. 1722. restantibus non communis, sed lutheranis propriis.*
5. v. Schmid, Joach. Erdmann, Ord. Th. Decanus: *De confirmatione Novitiorium sive Schmidii, Joach. Erdmann, Ord. Th. Decanus: Programma: De episcopis collatis a Corolo M. probatis, quo Nicolaus Gerhardi Feyerdis disputatio in ang. iuris Doctoratur*
6. Schmid, Joach. Erdmann, Ord. Th. Decanus: *De libro hypostatal confessionis a Victoria nomine et vocabulo inter illas & Art 71. P. O., quo programmata est. In Gottlieb Graepi ... dispensationem in ang. ... indicatur.*
7. Schmid, Joach. Erdmann, Ord. Th. Decanus: *De libro*

1772.

8. Walchius, Cor. Fid., Ord. ius. Decanus: De pace domes.
Lia. singularia Germanorum instituta. Programma, quo
Dr. Bern. Christoph Schmidius salomonis Disputationem
inedit.

9. Walchius, Cor. Fiducias: De religiosis communioris
bonorum inter conjuges Brunsvicenses.

10. Walchius, Cor. Fiducias: De causa querelae
in affectio*n* testamenti et heredes.

1773.

1. Schmidius, h. historius; Turcconsult. Ord. exdecanus:
Programma: De remedis iures, quae litteris instituti
propter legitimam competuit, In Christiani Coss.
Frittinger. . . . Dissertatione in a... premissa

2. Walchius, Cor. Fiducias: De usuraria proritate
et petiata hancachione

1773

3. Walckius, Carolus Petrus: *De condonatione successiones
fundamentata in Germania*
4. Walckius, Carolus Petrus: *De discriminione bonorum
uxoriorum jure Postmatriculi part I. 1755. sub
lato*

1774

1. Hesekiel, Paulus: *De separacione et horo
et mensa.*
2. Walckius, Carolus Petrus: *De privilegiis mercatorum
crederiorum in concursu.*
3. Walckius, Carolus Petrus: *Reverendarii herostatis
forma statutis in hantgeuntibus proscripta.*

- 111
H
1. ~~Einzelne signif. Individ. sind nicht e.
Sicher, da hat sich ja die Trennung
nicht so leicht getan, und es ist
noch nie vorgekommen, dass eine
der drei Themen nicht aufgetreten
ist. Ich könnte sie jetzt aus
meiner Arbeit.~~
2. ~~Wiederholte Arbeit: Entzündung der
Leber und Leberzelle: weiß und rotrot.~~
3. ~~Wiederholte Arbeit: Entzündung der
Leber und Leberzelle: weiß und rotrot
und ein weiteres~~
4. ~~Entzündung und Entzündung sind nicht
so sehr unterschieden, wie ich dachte.~~
5. ~~Die Differenz entspricht in jedem Falle
einem Prozess, der entweder
eine Zersetzung oder eine
Abreicherung ist.~~
6. ~~Wiederholte Arbeit: Entzündung
der Leberzelle~~
7. ~~Wiederholte Arbeit:
ob gefärbte Leberzellen~~

Publ. num. 9

1782/1

H
DE
FORMA IMPERII ROM. GERM.
DISSERTATIO

Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

CAROLO AUGUSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, CET.

P R O L O C O

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
RITE OBTINENDO

A. D. IX. MARTII C I O I O C C L X X X I I .

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I I C I E T
CHRISTOPHORVS GOTTL. HEINRICH
HISTOR. PROF. P V B L. ORD.

DEFENDENTE


I O. GODOFR. HASSE.

V I M A R I E N S I
S O C. LAT. I E N. AB E P I S T.

I E N A E

A P V D F I C K E L S C H E R R. H A E R E D. E T S T R A N C K M A N N.
C I O I O C C L X X X I I .





CONSPECTVS.

- § I. Scriptorum de forma Imperii R. G. diffensio, et aliorum in Imperatorem, aliorum in Status iniquitas.
- § II. Diffensionis cause.
- § III. Recensentur quorundam de forma Imperii R. G. opiniones.
- § IV. Refutatur hypothesis monarchiae illimitatae.
- § V. Refellitur opinio de monarchia limitata.
- § VI. Forma Imperii Germ. non est aristocratica.
- § VII. Imperium R. G. non est sistema civitatum.
- § VIII. Nostra de Imperii forma sententia.
- § IX. Consortium Imperatoris et Statuum Imp. in potestate legislatoria.

A. 2

§ X.

§ X. *Ius belli et pacis, item jus tributorum communicatum*

§ XI. *Potestas judicaria communicata.*

§ XII. *Respondetur ad ea, quae sententiae nostrae adversari videntur.*

§ XIII. *Quo tempore Imperium R. G. desierit esse monarchicum.*

§ XIV. *Vtrum Imperatoris auctoritati per hanc nostram sententiam
aliquid detrahatur.*

PRAE-



P R A E F A T I O.

Quam exhibeo Vobis, Lectores Benevoli, dissertationem, eam fortasse nunquam conscripsisse, nisi auspicaturo mihi collatum in me munus academicum leges necessitatem impoſuissent publice disputandi. Fuit enim longe aliena ab hoc scribendi genere studiorum meorum antea ratio: nec unquam operaे multum in exercenda Latinae orationis facultate ponere mihi licuit, quippe alia omnia potius agenti, quam ut vitae academicae animum et studia applicarem. Tum au-

xit istam scribendi difficultatem, quod itineribus per terras peregrinas vixdum confectis animus dissipatus non celeriter satis colligi poterat. Vrgebant praeterea temporis angustiae, quo et hoc opus et alia multa confici oportebat. Quare velim ignoscant harum rerum periti, cum leuem atque inornatam hanc scriptiunculam videbunt, si exitum conatibus haud respondere animaduerterint. Delegi autem ex iure publico Germaniae, propter eius arctam cum historia, quam profiteor, cognitionem, argumentum vulgare illud quidem, et ab aliis saepenumero tractatum: attamen dignum, quod repeteretur et magis illustraretur, tum ob ipsius rei grauitatem atque amplitudinem, tum quod prauae ac perniciose doctorum quorundam opiniones de S. R. Imperii monarchia Ordinumque Imperii subiectione magis indies inualescunt. Has igitur opiniones statui denuo modis omnibus oppugnare, et, quid ego de Imperii R. G. forma sentire, publice proponere. Quibus conatibus ut faueatis, *Lectores*, et si qua forte displicuerint, ut eorum veniam benigne mihi detis, maiorem in modum a Vobis peto. Valete.

§ I.

§ I.

*Scriptorum de forma Imperii Rom. Germ. diffusio,
et aliorum in Imperatorem, aliorum in Sta-
tus iniquitas.*

Vtra obtineat in Imperio Rom. Germ. forma reipublicae; monarchica an aristocratica, multi scriptores nostra et patrum memoria, maximo studio et ingenti saepe animorum contentione, disceptarunt. Est vero ea quaestio prope omnium grauissima, et dignissima, quae tota explicetur ac pertractetur. Nam iuris publici principia necesse est alia eorum esse, qui monarchicum, alia eorum, qui aristocraticum imperium, aut ciuitatum systema propugnant. Quae sententiarum diuersitas quot malorum causa existere queat, nemo prudens rerum aestimator non videt: per hanc enim dissensionem facilime potest euenire, ut aliquid dicatur in iniuriam aut Imperatoris, aut Statuum Imperii. Notissimus ille Austriacaeque domini infensissimus scriptor, Hippolytus a Lapide, seu vero nomine Phil. Bogisl. Chemnitius, principium falsum, quod adoptauerat, de forma Imperii R. G. fecutus, multis iniuriis atque contumeliis domum Imperatoriam onerauit. Et Pufendorfius, qui propemodum eadem principia fecutus erat, per suum de statu Imperii Germanici libellum, qui cetero-
qui multa habet egregia, sed audacius quam pro fasculi eius
more

more dicta, multis largam disceptandi ac declamandi causam dedit, in quibus disceptationibus ac declamationibus illi neque Imperatoris neque Principum auctoritati satis parcere solebant. Schmaussius quidem in Comp. iur. publ. L. I. C. III. § 4. loquitur de *subalterno regimine Statuum Imperii*, hosque appellare audet *Imperatoris subditor*: idemque tulit aegerime, quod in hoc ipsius libro, qui Lipsiae imprimebatur, hunc et similes locos alios, qui Ordinum violent dignitatem, Rechenbergius censor litura induxerat. At celebris ille Franco-Gallus, multum lectus a nostris, Condillacus, res falsas de Germania tradens plurimas, non dubitat Imperii nostri Status monarchas appellare. Itaque homines docti, falsis usi principiis, falsas atque iniustas de Imperii forma sententias proposuerunt, neglectisque historiae ac legum publicarum monumentis, non quae vera esset, sed quam eorum, quibus addicti erant, utilitatibus aptiorem esse iudicarent, reipublicae nostrae formam sibi effinxerunt.

§ II.

Dissensionis causae.

Mirum profecto est, in re tam graui, et quae omnis prope scientiae iuris publici primum sit principium, inter doctores non conuenire, praesertim cum iidem exterarum rerum publ. formas videri velint optime cognitas et perspectas habere. Cuius dissensionis causae plures videntur esse: nos tantum praecipuas attingemus. Primum sane forma, qua regitur Imperium Rom. Germ., singularis omnino est: nam hinc

9

hinc Imperator videtur monarchica pollere auctoritate; illuc
Status plurima et maxima supremae potestatis exercere iura,
ut haeres dubius, vtri parti competere summum imperium
dicas. Quare non puto, si res ad veritatem exigatur, Pu-
fendorfum offendisse, qui sub Monzambani persona Ger-
maniam ait esse *irregularē quoddam corpus et fere monstro simile a.* Quod autem addit, siquidem *ad regulas scientiae civilis*
exigatur, ex eo ipso maxime arbitror natam esse istam de Im-
perii forma dissensionem. Nam cum in ciuitatis alicuius for-
mam doctores inquirent, studebant eam reuocare ad re-
gulas, quas Aristoteles aliisque post eum doctrinae ciuilis ma-
gistri de rite ordinanda republica excogitarant. A quibus
regulis cum Germaniae nostrae formam abire intelligerent,
eam alii irregularem et male concinnatam esse dixerunt: alii,
ut Aristotelis famae consulerent, posthabita ratione legum pu-
blicarum diuersarumque Imperii nostri mutationum, sibi et
aliis persuaserunt, modo monarchicum, modo aristocraticum
Germaniae statum esse. Tum partium quoque studium, pa-
riter ac metus veri dicendi, plurimum videtur auxisse istam
sententiarum varietatem. Notae sunt enim *Caeſcrinorum* et
Fürſteneriorum denominations: notae Reinkingii atque Chem-
nitii ſectae diuerſae. Neque ignotum eſt, in quibusdam
Germaniae terris eo rem deueniſſe, ut nihil ibi neque doce-
ri

a) SEVERIN. DE MONZAMBANO de ſtatu Imperii Germ. C, VI. § 9.
p. 340. (edit. Thomaf. Halae 1695. 8.)

B

ri neque imprimi permittatur, nisi quod propriis et praecipuis illarum aut ipsius principis utilitatibus conueniat.

§ III.

Recensentur quorundam de forma Imperii R. G. opiniones.

Age vero dispiciamus, quae sint celebriores de forma reipublicae Germanicae opiniones. Qui pro *monarchia* pugnant, eorum alii hanc *illimitatam*, alii *limitatam* esse volunt. In illorum numero principem reperimus Reinkingium, qui, adulandi studio ablatus, Imperatoris iura et auctoritatem iusto plus effert, pro demonstratione commemorans non solum Danielis de quatuor monarchiis visionem, verum etiam oracula Sibyllina et aliorum vatum gentilium b). *Limitatam* monarchiam defendunt Lynkerus c), Schilterus d), Schmaußius e), Haalius f), alii, qui suam istam sententiam partim in Insti-

b) REINKING^K de regimine seculari et ecclesiast. L. I. Claff. I. cap. I. p. 6. L. I. Claff. II. cap. I. p. 36. sqq. et cap. II. p. 47. sqq. (Aug. Vindel. 1717. 4.)

c) LYNNER Diff. de forma f. statu Imperii R. G. lenae 1686. rec. 1699.

d) SCHILTER Instit. iur. publ.

e) SCHMAUSS Comp. iur. publ.

f) DAM. FERD. HAAS de monarchia S. R. I. limitata, Francof. et Lips. 1752. 4. edit 2.

tutionibus iuris publici, partim in singularibus eo consilio scriptis libellis probare ac firmare allaborarunt. Qui *aristocraticam* in Germania formam reipubl. obtinere affirmant, inter eos eminet personatus Hippolytus a Lapide, qui, refuta ta Reinkingii opinione, penes solos Imperii Status rei sumam esse contendit, nihil Imperatori praeter simulacra maiestatis relinquens, ita ut eum comparet cum Duce Venetorum g). Nec defuerunt, qui *systema plurium ciuitatum, inae quauis foedera iunctarum*, dicerent in Germania locum habere, nullam plane agnoscentes reipublicae unitatem h). Has igitur opiniones, tanquam praecipuas, omissis ceteris, iam singulas proprius consideremus.

S. IV.

Refutatur hypothesis monarchiae illimitatae.

Nihil tam simile somnio est, quam Reinkingii et sectatorum eius opinio de *monarchia illimitata*. Quomodo enim potuerunt affirmare, per Capitulationis pactiones nihil de-

B 2

trahi

g) *HIPPOL. A LAPIDE* de ratione status in Imperio R. G. P. I. c. 3. it. c. 18. p. 314. et in Conclus. primae partis p. 318. sqq. (Freistad. 1647. 12.)

h) *TITIVS* in Diff. de habitu territorialum Germ. et inde veniente totius reip. forma, Lips. 1704. et in Diff. iurid. p. 250. sqq. Etiam Pufendorfius l. c. C. VI. § 9. p. 343. hanc sententiam admittit, at tamen cum restrictione.

trahi Imperatoris maiestati ²⁾ , h. e. , vt ipse Reinkingius de-
finit ³⁾ , summae et absolutae eius potestati ? Qui si ad ipsius
Capitulationis originem attendissent , fieri profecto non po-
tuit , vt tam absurdam hypothesin amplectentur . Nam cum
id ageret Maximilianus I. , vt se adhuc viuo Carolus nepos
Rex Romanorum eligeretur , quo faciliores haberet Electo-
res , qui metu nimiae Carolo tum accrescentis potentiae vi-
debantur esse refragaturi , pollicitus iis est , se passurum , vt
candidato proponerent Capitulationem , s. vt illo tempore lo-
quebantur , obligationis notulam , qua ipsorum iuribus ac
privilegiis caueretur . Non successit res tum quidem : fed
cum postea , facta interregno , et orta inter Electores graui
disceptatione , vtrum Galliae an Hispaniae rex Imperator eli-
gendas esset , finiendi eius dissidiis causa omnes Friderico Sa-
xoni Imperium consensu detulissent , isque repudiata ea di-
gnitate , Carolum Hispaniae regem suo suffragio Imperato-
rem designans , consilium collegis dedisset , vt eum certis le-
gisbus adstringerent , et proposita Capitulatione ad Statuum
iura et privilegia seruanda obligarent : hanc Friderici senten-
tiā omnes comprobauerunt . Atque ita orta est prima Ca-
pitulatio , quae fortasse nunquam extitisset , nisi periculum ,
quod a nimia Caroli potentia Germaniae instare videbatur ,
eius rei cogitationem tum inieceret . Nullus igitur Capitula-
tionis alias erat finis , quam vt , lege solemniter facta , Impe-
rator

²⁾ REINKINGK L. I. Clast. III. cap. 9. p. 262. ³⁾

³⁾ L. I. Clast. III. cap. 11. p. 251.

rator in exercitio iurium maiestaticorum, quod olim ei liberius competebat, restringeretur ac limitaretur. Verum praeter hanc legem etiam aliae sunt, quae terminos constituant Imperatoris potestati. Nam in pace Westphalica satis constat eam tam modicis regionibus circumscriptam esse, ut ab eo tempore nihil fere antiquae monarchiae amplius remansisse videatur. Sed quid immoramus in refutandis iis, quibus, praeter tot legum publicarum auctoritatem, omnis aeni adversatur historia?¹⁾ In hac enim oportet plane sit hospes, cui Reinkingii eiusque sectatorum doctrina vel paullulum possit arridere.

§. V.

Refellitur opinio de monarchia limitata.

Maioris momenti esse dicas ea, quae in argumentum *limitatae monarchiae* afferri solent. Et sane permultis, maxime recentioribus, placet ista sententia, eamque magis indies invalescere videmus. Sed quamquam negari non potest, olim i. e. sub Carolingis et Saxonicae stirpis Imperatoribus, monarchiam restrictam in Germania obtinuisse; nec apparere cuiusquam legis publicae aut pacti fundamentalis vestigium, quod indicio sit, monarchicum imperium solemniter vñquam abrogatum fuisse; imo non deesse acta publica Saeculi XV., in quibus Germaniae status expresse dicatur *monarchicus* m):

B 3

ego

1) Vid. RÜTTERI Elem. iur. publ. Germ. L. I. C. III. §. 30. seqq.
(Goetting. 1766. 8.)

m) Consultatio Oratorum Electorum, vbi hi etc. ap. SENCKENBERG.

in

ego tamen adduci non possum, vt credam, obtinuisse recentiori aeuo et adhuc obtainere in Germania Imperium regium limitatum. Primum enim constat, aucta et amplificata sensim Statuum auctoritate, longe aliam in Germania rerum faciem extitisse, pristinamque monarchiam eo denique redactam esse, vt Ordinum consensus iam necessario debeat in Imperii regimine adhiberi, neque Imperator amplius possit, nisi coniunctim cum Statibus, vlla praecipua maiestatis iura exercere: id quod a nobis infra docebitur pluribus. Ita vero non erat opus aliqua lege, quae disertis verbis monarchiam potestatem abrogaret. Nam vt nullae omnino formarum imperii commutations per saltum factae videntur: ita in Germania quoque Statuum iuribus et auctoritate minutatim crescentibus, ea rerum ciuilium commutatio pedentim et gradatim insecura est, vt iampridem summum imperium non tam restrictum, quam inter Imperatorem et Status diuisum ⁿ⁾ esse videatur. Sane Carolus V., vt regnandi erat avidissimus, renitebatur, et monarchiam plane moliebatur;

cor-

in selectt. iur. et hist. T. IV. p. 342. „Nam notum est, — multas lites, multasque diuisiones in Germania et Alemannia exortas esse, vnde ingencia mala exorta sunt, et ferme *Monarchicus Status* ob id contritus est.,“

ⁿ⁾ Diuisum cum dico, id nolim ita intelligi, quasi maiestatem licet in partes diuidere, vt semissem Imperator, semissem Status habeant: est enim vna semper atque indiuisa maiestas: sed eius exercitum pluribus potest simul et coniunctim competere. Quale offert exemplum non Germania tantum, sed et Magna Britannia.

corruptusqué, non correctus, exemplo eius Ferdinandus II. libertatem Germaniae f. Statuum Imperii tollere studebat; sed quam insausto vterque successu, notum est ex historia. Quod autem in actis publicis, de quibus diximus, Germaniae status appellatur *monarchicus*: ad id iamdudum in suo de ratione status Imperii R. G. libro satis apte respondit Chemnitius. „Id lubentissime, inquit, fatemur, recessus Imperii interdum minus accurate, in primis autem, vbi de plenitudine potestatis, Imperatoris maiestate et dignitate agitur, quoad ipsum Imperatorem, longe magnificentius et speciosius, ac res ipsa requirit, respectu vero Ordinum magis seruuliter et demissè loqui, quam auctoritas eorum patitur aut admittit. Sed hoc aut parasitastris iitis legistis, Recessum concinnatoribus, imputandum est, aut communi seculi nostri vitio et depravato Germanici idiomatici stylo, qui huiuscmodi nugamentis ac inanibus ceremoniis titulorumque ampullis ad naufragium usque scatet o).,, Nec videntur Imperii Status ita necessarium iudicasse, ut semper verba tam anxie ponderarent. Erant in verbis tanto faciliores, quod res ipsa inter eos et Imperatorem optime conueniret. Vtebantur sine dubitatione iis formulis, quae potestatem monarchicam Imperatori tribuere viderentur, quod probe sciebant, se coniunctim cum eo summum ius maiestatis, i. e. potestatem legislatoriam, reuera exercere. Cumque isto adhuc aeuo insideret omnium animis quaedam pristinae monarchiae species, tanto minus Imperii Status grauabantur

mon-

^{o)} HIPPOL. A LAPIDE P. I. C. VI. Seft. II. p. 102.

monarcham eum appellare, qui olim vero fuisset monarcha, et adhuc esset caput Imperii. Denique ista huius generis curialia videntur aliquando in actis publicis idecirco exhibita esse, vt apud exteris gentes eo maior esset Imperatoris, et propter eum Imperii vniuersi, reuerentia. Sic olim Saxorum principes, qui Heptarchiam in Britannia fundarunt, nomen regium adsumserunt, non quasi noua haec appellatio adscita vlo vero incremento augeret ipsorum potestatem, sed vt eo maiore a vicinis Scottis et Pictis reuerentia coleventur p). Sed, quod maximum est, nos hic non quaerimus, an Imperium Germ. vocetur monarchia, sed an sit. Virgent aduersarii et obiiciunt, penes Caesarem omnes imperii partes et rei summam consistere; quamuis exercitium illarum partium limitatum sit Imperii legibus, in primisque Capitulatione: id enim maiestati imperantis nihil detrahendetur q). Quae quomodo possint inter se componi et copulari, ego non intelligo. Potestne Imperator simul et habere potestatem monarchicam atque omnes imperii partes, et ita ligatus ac restrictus esse Imperii legibus, vt istam potestatem nequeat solus exercere? Num ita limitatus monarcha vñquam vere dici monarcha poterit? Habet sane Imperator, id enim concedimus, maiestatis, i. e. supremae potestatis, partem solus, sed non omnes: nam quod attinet ad referuata, quae dicuntur

p) WILL. GUTHRIE's geographical, historical and commercial Grammar and present state of the several Kingdoms of the World, p. 244. (London 1779. 8.)

q) Ita HAASIVS l. c. p. 52.

tur, quorum exercitum est solius Imperatoris, ea minora sunt maiestatis iura, potestati legislatoriae ac iudicariae non aequiparanda, et modo indicia veteris monarchiae.

S VI.

Forma Imperii Germ. non est aristocratica.

Vt autem, qui pro monarchia pugnant, Imperatori nimium tribuunt: ita ex aduerso omnem ei maiestatem auferre student, qui *aristocraticum* in Germania esse imperium defendunt. Inter hos diximus eminere Chemnitium f. Hippolytum a Lapide, tam infestum illum Caesareae potestati, vt non dubitet Imperii Statibus auctor esse, vt eam quantum plurimum possint minuant, atque adeo vt omnia maiestatis iura sibi met ipsis vindicent, Imperatori autem, praeter nomen et inanes titulos, relinquant nihil r). Is ergo statum Imperii aristocraticum esse contendit, mixtum e multis et variis aristocratiis s). Summum autem atque praecipuum Chemnitii argumentum hoc est: „Imperatorem Statibus esse subiectum, et pro eorum arbitrio, non modo ob violatas leges fundamentales, sed et aliis de causis atque ob alia quedam delicta, posse exauktorari t)„. Verum id in omni republica iuris est, vt arma capere liceat contra principem, qui

legum

r) Multa sane iste habet ad reipubl. salutem egregie monita: sed violenta remedia proponebat aegrotanti Germaniae.

s) HIPPOL. A. LAP. P. I. Conclus. p. 318.

t) P. I. C. III. Sect. II. p. 50.

C

legum naturalium aut fundamentalium contemtu populi iura violet, nec iteratis monitis et querelis deterri possit, quo minus pergit manifestam tyrannidem exercere. Fecerunt id Belgii Ordines contra Philippum II. Hispaniae regem. Fecerunt id Principes Euangelici, foedere Simalcaldico sociati, vt communem tum sacrorum, tum libertatis causam aduerfus Caroli V. Imp. violentas actiones defendenserent. Fecerunt id, bello tricennali feruente, complures Germaniae principes, qui, vt iura sua tuerentur contra Imp. Ferdinandum II. omnia per vim agentem, et leges fundamentales violentem, praecepue autem Edictum Restitutorium vi armata exequentem, regi Sueciae fefe adiunixerunt. Nec iniuria ciues resisterunt Carolo Leopoldo, Duci Megapolitano, verbis factisque declaranti, se ferre non posse iura et priuilegia eiusum suorum: licet Carolus VI. Imp. minus iuste fecisse videatur, qui eum priuarit imperio sine consensu comitiali. Nec vero tantum arma sumere potest populus contra manifestum tyrannum, sed etiam eum exauctorare, si aut certis in causis ius hoc sibi reseruauit, aut extrema necessitate ad id subigitur, h. e. si videt, resistentem se non posse iura sua recuperare, sed contra sibi maius malum arcessere atque attrahere. Hinc iniusta omnis exauctoratio, quae fit aut propter iniuriam vni atque alteri factam, aut propter vitia privata, nihil attingentia reipublicae administrationem: velut cum Henrico IV. Imp. exprobratum est, quod aleret gregem concubinarum. Patet ergo, maximum et gravissimum Chemnitii errorem esse, dicentis, non modo ab violatas leges fundamen-

damentales, sed et aliis de causis atque ob alia quaedam de-
licta exauditorari posse Imperatorem. Nam tum foret Impe-
rator vere subiectus Ordinibus. Qui potest autem subiectus
esse Ordinibus aut Imperio, cum in eiusmodi subiectionem
ipse nunquam, neque tacite, neque verbis voce aut scripto
expressis, consenserit? Nam omne ius alterius in alterum,
et, quod consequens est, omnem iustam subiectionem, ex
paecto duntaxat venire, nemo est, qui neget. Corruente igi-
tur hoc praecipuo Chemnitii fundamento, corruit etiam
omnis eius doctrina, statuentis aristocraticam Imperii R. G.
formam esse. Fingamus tamen, eam esse aristocraticam: qui-
nam erunt, quos vere possis dicere Optimates? Pone iura
paria et eadem prorsus esse omnium Ordinum, ita ut hacte-
nus possint Optimates dici et haberi: quisnam erit Impera-
tor? Huic enim magnam maiestatis partem competere, ne
ipse quidem Chemnitius audet negare. Quod autem aristocra-
tiā Germanicā demonstrare quidam volunt ex Alberti
Electoris Moguntini oratione, qua is Carolum V. potius
quam Franciscum eligendum esse censuit, quod Gallus ad
monarchiam inclinaret, Germaniae autem principibus *aristo-
cratia* esset retinenda v): id valde absurdum atque ridiculum

C 2

est

v) SLEIN. de statu relig. et reip. L. I. p. 16. b. (f. l. 1557. 8.)
Optime vero PVENDORFIUS: „Abs tali, inquit, praesule, vt ad
exquisitae illius scientiae ciuilis regulas dictiōnem ita sollicite for-
met, requirere, putidum foret; et sensus, vtut incommodis vo-
cabulis expressus, in se perspicuus est; scilicet si praesentem suam

con-

est. Nam, ut taceam, si etiam esse a Sleidano istam orationem exemplo veterum, quos imitabatur, historicorum, non potuit profecto vnius Electoris Moguntini sententia controversiam istam decidere.

§. VII.

Imperium Rom. Germ. non est systema ciuitatum.

Nunc videamus, quam parum vera sit eorum opinio, qui *systema ciuitatum, inaequali foedera iunctarum*, in Germania obtinere aiunt, ideoque tollunt omnem reipubl. vnitatem ^{x).} Hi ergo talem sibi fingunt Imperii R. G. formam, qualis olim fuit Achaicarum ciuitatum, aut qualis nunc est Belgii Foederati. Nec desunt, quae hanc opinionem firmare videantur, actorum publicorum testimonia: in his enim, vbi de forma reipubl. Germanicae disseritur, passim occurunt nomina *Confoederationis et Confociationis* ^{y).} Verum cum ciuitatum

sy-

conditionem et libertatem ament Germaniae Principes, caudum sibi esse ab Imperio Galli, qui, cum in proprio regno Procerum conditionem ad exquisitae leges monarchiae redigere laboret, Germanos in Principes sine dubio similia sit tentaturus.,
MONZAMB. C. VI. §. 5. p. 325.

^{x)} TITIVS in Diff. alleg. MONZAMBANO I. c. §. 9. p. 343. sq.

^{y)} HORTLEDER Handl. und Ausfchr. von den Vrsachen des deutschen Kriegs T. I. L. I. C. VIII. p. 58. sq. (Francof. 1617.) „So muß ie menmöglich erkennen, daß das Roeml. Reich, das Haupt Kaiserl. Mai. ist, und dess Glieder, die Churfürster, Fürsten etc. seyen anders nichts, dann ein Conſöderation, zusammen Verbindung und Verpflichtung, etc..”

systema intelligatur esse foedus ciuitatum *independentium*, per se ipsa cadit ista hypothesis. Quantam enim cunque Status Imperii habent in suo quisque territorio potestatem, ea tamen Imperio subordinata est, nec illius est Imperii Status, qui vere sit independentis. Et quamquam politica Germaniae compages varias et magnas experta est mutationes, nunquam tamen ita distracta aut dissoluta est, ut eius partes in respublicas speciales independentes abirent ^{z)}. Valde rudem in historia Germanica esse oportet, qui velit aliud credere. Accedit, quod in ipsis legibus fundamentalibus Imperium Germanicum semper tanquam *corpus politicum unum* proponitur, et, ubi agitur de Imperatore ac Statibus, *Capitis Membrorumque* vocabula sfilo curiae usurpata occurunt ^{a)}. Quod autem est maxime contrarium isti hypothesis, non posset iura sua Imperator, nec reseruata, nec ea, quae communia cum Statibus habet, exercere, si Germania esset systema ciuitatum. Est enim in Imperatore pars maiestatis, quae in Ordinibus utique integra esse deberet, si ciuitates eorum essent independentes.

§ VIII.

Nostra de Imperii forma sententia.

Posteaquam eorum opiniones refutauimus, quorum aliū

C 3 monar-

^{z)} VLR. OBRECHT Diff. de unitate reip. in S. R. Imperio, inter eius Diff. iunctim edit. no. 14. Mascov. Princip. iur. publ. Imp. R. G. L. III. C. I. § 2. (Lips. 1769. 8.)

^{a)} MASCOV. l. c. § 3.

monarchiam, alii aristocratiam, alii ciuitatum systema in Germania putant obtinere : videamus iam, quae tandem Imperii forma esse dicenda sit. Est ea fane admodum singularis, neque vilam aliam per omnia similem historia nobis exhibet ^{b)}). Sed quamvis longe abeat ab iis formis, de quibus trita sunt politicorum praecepta: noluerim tamen eam cum Pufendorfio *monstrofam et male concinnatam* appellare ^{c)}). Absurdum est enim, omnes formas exigere velle ad ea exempla, quae in scholis proponi solent. Nec enim semper forma rei alicuius publicae ad regulas doctorum effingitur, sed eam rerum ac temporum variae ac multiplices rationes definiunt. Pro his autem rationibus ego non puto vilam excogitari potuisse mediorem formam, aut magis salutarem, et quae Germanorum ingenio magis conueniat. Quaestio autem nobis est, non qualis olim fuerit Imperii R. G. forma, sed qualis ea nunc sit. Nam solet in magnis imperiis oriri atque ali mutua quedam inter imperantem et status vel populum aemulatio, ut studeat pars vtraque per alterius depressionem altius crescere. Ita etiam in Germania, qui antiqua nouis contulerit, aliam aliis temporibus rerum faciem deprehendet ^{d)}). Principio enim, i. e. sub Carolingis et Saxonicae stirpis Imperatoribus, monarchicum fuisse Imperii statum, omnes facile concedunt.

Verum

^{b)} MASCOV. l. c. § 8.

^{c)} MONZAMBANO l. c. § 9. p. 340. sq.

^{d)} MASCOV. l. c. § 6.

Verum progressu temporis ii denique fines Imperatori constituti sunt in maiestatis exercitio, vt nisi Ordinum consensu de rebus grauioribus statuere nihil possit, Ordinesque habeat participies exercitii iurium maiestaticorum. Ius maiestatis primum et sumnum, quo reliqua fere omnia comprehenduntur, est *potestas legislatoria*. Proxima huic sunt *ius belli et pacis*, *ius tributorum* et *potestas iudicaria*. Haec maiestatis iura qui solus exerceat, eum Monarcham appellamus. Vbi vero imperans in eorum iurium exercitio eget sociata ope Ordinum, ita vt sine horum suffragiis et consensu illa exercere non possit: ibi non monarchicum est, sed *diuīsum s. communicatum imperium*. Ac tale *imperii consortium* etiam in Germania obtinere, iam offendemus.

§ IX.

Consortium Imperatoris et Statuum Imperii in potestate legislatoria.

Vt imperii consortium existat, non opus est, omnia maiestatis iura esse communicata, sed tantum potiora atque praecipua. Quorum summum, et reliqua fere omnia complectens, *ius legum ferendarum* esse diximus. Hoc Imperatorem vti non posse, nisi accedat Statuum consensus et auctoritas, manifestum est. Nam vt praetereamus, iam Rudolphi Habsburgici tempore in grauioribus reipubl. negotiis Electorum litteras confessionis e) adhibendas fuisse: notissimum est, in cele-

e) CHR. GVL. FRANC. WALCH de litteris Electorum confessionis testibus, Goetting. 1754. 4.

celebrato illo § 2. Art. VIII. I. P. O. Statuum iuribus et libertati prospectum fuisse his verbis: „Gaudеant (Status Imperii) sine contradictione iure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, praeſertim vbi leges ferendae vel interpretandae, — nec non vbi pax aut foedera facienda, aliaue eiusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac vñquam fiat vel admittatur, niſi de comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum suffragio et consensu., Idem confirmatum eſſe nouimus in Capitulacione nouiss. Art. II. § 4. 5. et Art. IV. § 1. Conf. Art. VII. § 1. princ. Verum ipsa quoque comitiorum forma istud consorium Imperatoris et Statuum abunde probat. Imperator enim primum refert ad Status: tum in classes distincti Status consultant, et postea Placitum Imperii conficiunt: quod vbi confirmatum ab Imperatore eſt, Conclusum Imperii vocatur, et vim habet legis. Antequam vero Status adſtipulati ſunt Imperatoris propositioni, et Imperator Statuum decretum s. placitum ratum habuit, nihil omnino aetum eſſe intelligitur. Si ergo lex Imperii nulla ferri potest, niſi comitialibus omnium Statuum suffragiis approbata: illud ex eo cogitur, Status re vera potestatis legislatoriae participes, et *sociam causam legum eſſe*, neque Schmaußum et ſectatores eius mediocriter falli, qui eos appellant subditos Imperatoris, et aequiparent statibus provincialibus rerumpubl. Germaniae ſpecialium. Nam hi non habent iura communia cum principe, ſed ei subiecti ſunt: Imperii autem Status partem habent supremae in Imperio

perio potestatis, et ob id vere sunt atque dicuntur *Coimperantes f).*

§ X.

Ius belli et pacis, item ius tributorum communiciatum.

Neque *iure belli et pacis* Imperatorem constat solum pro arbitrio suo posse vti, sed oportere Statuum consensum comitialem accedere. Loquimur autem non de eo bello, quod Imperator suo nomine ob terras haereditarias gerere debeat, sed de bello Imperii solenni, quod gerendum sit ab Imperio R. G. contra gentes exteris, aut contra Imperii Ordines, qui officio suo non satisfecerunt g). Olim quidem liberior erat Imperatoris circa ius belli potestas: attamen in comitiis bellum decerni solebat. Postea Maximilianum I. legimus in comitiis Vormatiensibus A. 1495. habitis ipsum vltro solenniter promisisse: se absque suffragio et consensu Statuum comitiali nolle bellum aut diffidationem fuscipere h). Et cum haud semel Status experti essent, quantum ab Imperatoris libera belli gerendi

f) FLOERKE Diff. de confortio Imperatoris et Statuum Imp. in potestate legislat. et iudicari. § 16. sqq. (Halae 1756.)

g) MASCOV. Diff. de bello solenni Imperii, Sect. I. § 2. (Lips. 1754. edit. 4.)

h) MÜLLER Reichstags Theatr. unter Max. I. in praefat. MASCOV l. c. § 4.

rendi potestate in ipsos et vniuersam Germaniam periculum ac detrimentum redundaret, cauerunt Electores in Capitulatione, quam Carolo V. proposuerunt, ne bellum vnquam fusciperet, nisi consensu Statuum, aut *ad minimum Electorum i).* Quam posteriorem limitationem reliqui Status, vt nouam praerogatiuam Electorum, aegre passi, cum eam in consultationibus de pace Westphalica tolli vellent, id modo impetrarunt, vt in Infr. Pac. Osnabr. Art. VIII. §. 2. ita ipsis prospiceretur: „ne — vbi — bellum decernendum, — nec non vbi pax aut foedera facienda, — quicquam — fiat vel admittatur, nisi de comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio et consenu.„ Hanc Instrumenti Pacis sanctionem Electores obseruandam non rati, limitationem istam retinuerunt in Capitulationibus Leopoldi, Iosephi I. et Caroli VI. Imperatorum: donec in subsequentium Imperatorum capitulationibus diserte cautum est: consensum Electorum vnanimem sufficere tantum in casu extremae necessitatis, vbi periculum in mora sit; regulariter vero ad bellum decernendum requiri consensum omnium Statuum Imperii comitiale k)

Esse

i) Capitulat. Caroli V. Art. XI.

k) Capitul. nouiss. Art. IV. § 2. „Wir sollen und wollen auch — kein Gezaenk, Vehde noch Krieg inn- und außerhalb des Reichs von des selben wegen — anfangen, oder Bündniß mit ihnen machen, es geschehe dann solches mit deren Churfürsten, Fürsten und Staenden Consens auf offenem Reichstage, oder zum wenigst denieren saemtlichen Churfürsten Vorwissen, Rath und Einwilligung in eilenden Fällen, cet.

Esse autem communicatum in Germania ius belli et pacis, rerum ipsarum testimonio constat. Non enim solius Imperatoris, sed simul Imperii nomine bellum solenne indicitur: neque pax componitur cum solo Imperatore, sed simul cum Imperio, i. e. cum omnibus et vniuersis Ordinibus. Loquuntur id exempla pacis Neomagensis, Ryswicensis, Badensis, Vindobonensis, et bellorum ante has pacificationes gestorum. Atque etiam si plenissima potestas Imperatori effet belli gerendi, nihilo tamen feciis, quoad hoc regale, Status forent consortes Imperii, quoniam Imperator, qua Imperator, non potest bellum gerere, nisi ab Imperii Statibus et miles praebeatur, et sumtus bello suggerantur. Ita rex Magnae Britanniae habet quidem ius indicendi belli, sed plane inutile atque inefficax, cum Inferior Curia potestatem habeat dandi et negandi subsidia. Ut autem belli sumtus in Imperio non possunt imperari aut exigi, nisi cum consensu Electorum, Principum et reliquorum Ordinum comitiali: sic nec alia vlius generis tributa. Cautum hoc fuit in I. P. O. Art. VIII. § 2.: idemque postea in Capitulationibus firmatum atque ita explanatum est 1), vt de consortio Imperatoris et Statuum etiam in hoc tributorum iure omnis dubitatio sit praecisa. Quin imo ita restricta est Imperatoris in eo

D 2

genera

1) Cap. nouiss. Art. V. § 2. „Auch — die Steuern und dergleichen An- und Auflagen, es sey zu Kriegs oder Friedens Zeiten, anderst nicht, als mit Rath, Wissen und Verwilligung der Churfürsten Fürsten und Staenden auf allgemeinen Keichstagen ansetzen.“

genere potestas; ut absque comitali Statuum consensu ne
immunitatem quidem tributorum s. priuilegium exemptionis
eniquam poslit concederé: quemadmodum ipsum etiam oportet
ratam suam de terris haereditariis praestare m).

§ XI.

Potestas iudicaria communicata.

Suprema iurisdictio vtrum Imperio tribuenda esset, an Imperatori, magnopere a multis dubitatum est. Illud certum habetur, fuisse olim hoc maiestatis ius penes solum Imperatorem: neque ignoratur *iudicium Curiae Imperialis*, quod Friderici II. Imp. temporibus obtinuit: a quo iudicio videntur origines tum aulici, tum cameralis iudicii esse repetendae. Itaque concedimus, Imperatorem illis temporibus fuisse *omnis iurisdictionis fontem atque originem*. Verum ex quo tempore Maximilianus I. Imp., Statuum rogatu, *Iudicium Camerae Imperialis*, quod iam a Friderico III., sed temporarium, inductum fuerat, stabile ac perpetuum instituit: tum participes facti sunt Status potestatis iudicariae, quae antea solius Imperatoris fuerat. Sensit hoc ipse Maximilianus: et ea erat causa, cur is hoc supremum Imperii iudicium non ita curae cordique haberet. Nam iurisdictionem suam per illud cum Statibus communicatam, et ita minutam videbat esse: nec profecto illud fuisse instituturus, nisi eum iteratae Statuum que-

m) Cap. noniss. Art. V. § 6. — 9.

querelae ac preces id facere coegissent. Iudicio camerae instituto, non plane sublatum est vetus iudicium Curiae Imperialis. Quippe Maximilianus I., inuidia in Cameram Imperialem stimulatus, *Consilium Aulicum Imperiale* instituit: in quo cum Austriae tantum causae primo tractarentur, mox ad id trahi cooperunt etiam causae Imperii, et initio quidem causae gratiae duntaxat, sed postea sub Carolo V. etiam causae iustitiae. Ita ergo factum est, vt haec duo iudicia nunc sint suprema Imperii tribunalia. Et cum in iis, maxime in Camera, potestas iudicaria exerceatur non a solo Imperatore, verum etiam simul ab Imperio: sequitur, vt etiam hoc regale Statibus commune sit cum Imperatore. Etenim personaē, quae Camerae Imperialis iudicium constituunt, partim ab Imperatore designantur, partim ab Electoribus et Circulis Imperii. Iudicij Aulici personae a solo quidem Imperatore constituuntur: verumtamen in Caroli VII. Capitulatione, suauissimè Saxonis, cautum est, vt consiliarii, qui in Consilium Aulicum introducerentur, Imperio simul et Imperatori insurandum praestarent *n*). Camera Imperialis sustentatur collationibus Statuum; Consilium aulicum a solo Imperatore. Consilium aulicum regulariter cum Camera Imperiali concurrit in omnibus causis, non autem Camera Imperialis cum Consilio aulico: nam in causis iis, quae

D 3

attin-

n) Capit. nouiss. Art. XXIV. § 3. „iedoch künftighin auf das Reich nahmentlich mit zu richtenden Eides-Notul, etc.

attingunt Imperatoris iura reseruata, quorum is debet solus esse iudex et executor, Iudicium aulicum habet priuatiuam iurisdictionem: quo referuntur causae quaedam feudales, causae gratiae, controuersiae inter Status de praecedentia, vel inter quoscunque de sensu privilegii Caefarei o). Modus iudicarius in Consilio aulico in regula est seruandus, quem Ordinatio Cameralis praescribit p). Elektor Moguntinus, qua S. R. I. Archicancellarius, habet ius, quod ei tum in Instr. P. O. q), tum in Capitulatione Caesarea r) datum est, visitandi Iudicium aulicum, sed ut obseruet ea, quae in comitiis, de communi Statuum placito, sunt visa obseruanda esse. Non potest Imperator neque mutare quicquam in his duobus Imperii tribunalibus, neque aliud nouum instituere, nisi id fiat omnium Statuum voluntate consensuque comitiali s). Et quamquam in causis quibusdam criminalibus Ordinum Imperii concessa Imperatori est cognoscendi potestas, de proscriptione tamen f. banno Imperiali cautum est in I. P. O. Art. VIII. § 3., tum in Rec. Imp. nouiss. § 162. et in Capitulatione Caroli VI. et subsequentium Imperatorum t); ne quis

o) Conf. IO. DAV. GUTHIER de causis iudicium Imp. aulicum fundatis, siue de concurrentia cum iudicio camerali, Alt. 1752. 4.

p) I. P. O. Art. V. § 54. Reichshofrats-Ordnung Tit. II. § 8.

q) Art. V. § 55.

r) Capit. nouiss. Art. XXIV. § 6. 7.

s) Capit. nouiss. Art. XVI. § 3.

t) Capit. nouiss. Art. XX. § 1. — 6. 9. 10.

quis Status Imperii, nea qua persona illustris, absque omnium Ordinum Imperii cognitione, consilio et consensu comitiali, proscriptione mulctetur u). Denique recursus ille ad comitia, cum in comitiis exponitur grauamen de alterutro summorum Imperii iudiciorum, iniquius agere aut pronuntiare viso, et auxilium comitiorum imploratur, maximo argumento est, hanc iudicariam potestatem non esse penes Imperatorem solum, sed etiam Imperio, i. e. Statibus Imperii, simul competere x).

§ XII.

Respondeatur ad ea, quae sententiae nostrae aduersari videntur.

Cum igitur manifestum sit, praefantiora maiestatis iura, id est, potestatem legislatoriā, ius belli, ius tributorum et potestatem iudicariam, ab Imperatore et Statibus Imperii coniunctim exerceri: non puto negari posse, quod supra diximus, inter Imperatorem et Status *consortium imperii* obtine-re. Attamen sunt, quae huic sententiae obstante videantur. Primum est, quod Recessus Imperii expediuntur ac propo-nuntur solius Imperatoris nomine. Verum id aut ad curia-lia referri debet, aut, quod luculentissima Recessuum Imp.

loc⁹

u) Modum procedendi praescribit Capitulatio nouiss. l. c.

x) FLOERKE Diff. modo alleg. § 49. sqq.

loca satis arguunt, reseruatum est Imperatoris y). Quod si quis putet, istud siue curiale, siue reseruatum Imperatoris, posse aliquid facere ad probandam Imperatoris monarchicam potestatem, eum contemplari et expendere iubemus vulgarrem Recessuum Imperii formulam finalem z): occursum erit huic eius obiectioni. Eadem ratio est, quod citationes, mandata et sententiae a Camera Imperiali solius Imperatoris nomine solent expediti. Porro sententiae nostrae contraria vindetur esse archiofficiorum ratio et administratio. Verum etsi non inficias ierim, haec officia pro indiciis et vestigiis priuinae monarchiae haberi posse, nullam tamen ea hodie subiectionem inuoluunt, sed pertinent ad Regis et Imperatoris Romanorum electionis ac coronationis solemnia: et Electores ideo non sunt archiofficiales Imperatoris, sed S. R. Imperii. Quod autem ad plenitudinem potestatis Caesareae, ad praeminentiam Imperoriam, et alia eiusmodi attinet, quorum in actis publicis Imperii crebra occurrit mentio, ea sunt mere curialia, neque quicquam potestatis vel auctoritatis aut Ordini-

y) FLOERKE I. c. § 25.

z) Ita v. c. Rec. Imp. nouiss. formula finalis: „Und wir die Churfürsten und Staende, und der Abwesenden verordneten Raethe, Botschaften und Gesandten, bekennen auch öffentlich mit diesem Abschied, dass alle und iede obbeschriebene Punkten und Articul, als wie obstehet, mit unserm guten Wissen, Willen und Rath vorgenommen und beschlossen seynd; willigen auch dieselbe allesamt und sonderlich etc.

Ordinibus detrahunt, aut Imperatori largiuntur. Denique obiciat aliquis, esse per nexus feudalem Status Imperatori subiectos, vasallagii praestatione: hinc formam Imperii monarchicam esse. Sed homagii praestatio, non vasallagii, est fundamentum subiectionis. Status autem Imperii non *homagium* praestant, sed *vasallagium*. In hoc tantum *fidelitatem*, non etiam *subiectionem* iureturando promittunt. Neque vasillus mere *personalem* fidelitatem debet, ut subditus, sed *realem*, quatenus est feudi possessor: id est, non debet eam simpliciter et in omnibus causis, sed tantum in causis feudum concernentibus, et propter officia, quae vasallo incumbunt a). Sed etiamsi concedamus, vasallagium et subiectionem concurrere intuitu feudorum Imperii: sunt enim, qui hoc velint: non tamen ex eo efficitur, statum Imperii monarchicum esse. Nam illud iusurandum, siue fidelitatis, siue subiectionis, non soli Imperatori praestatur, sed ei et Imperio simul; id quod patet ex ipsa iurisiurandi, quod a vasallis iuratur, formula b): neque ab Imperatore, sed ab Imperio, feuda habent vasalli. Porro quae supra de Statuum coimperio at-

a) C. H. HORNII Iurisprudentia feudal, Cap. XIII. § 3. p. 247.
(Witreb. 1729. 4.)

b) SAM. STRYKII Exam. iur. feud. in Append. no. 14. sqq. Idem apparet ex I. P. O. Art. VIII, § 2. „salvo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori et Imperio obstrictus est.“

que consortio in exercendis iuribus maiestatis diximus, ea non de singulis Statibus, sed de vniuerso Statuum corpore sunt accipienda. Nam singuli Status Imperio vtique subiecti sunt: imperium autem constituunt duae personae, altera Imperatoris, altera Statuum vniuersorum. Status ergo, qua corpus efficiunt, sunt consortes imperii, et rectissime vocantur Coimperantes.

§ XIII.

Quo tempore Imperium R. G. desierit esse monarchicum.

Sed cum hodie longe alia sit forma Imperii R. G., quam quae, sub Carolingis obtinuit, nec fere quicquam veteris monarchiae superstit amplius in Germania: quaeritur, vtrum factae huius mutationis aliqua possit epocha indicari. Est autem facilis responsio, si quis cogite, quod iam supra monuimus, mutationes formarum imperii sensim et paulatim, non per saltum fieri solere. Iam in Germania tum demum facta esse debet ista formae mutatio, cum Imperii Status maxime facti sunt participes exercitii praefantiorum iurium maiestatis, seu cum is modus positus est Imperatori, vt illa maiestatis iura non amplius nisi coniunctim cum Statibus exercere posset. Hoc autem sensim processit. Nam antequam extitit prima capitulatio Caesarea, multum iam deminutum erat de Imperatoris potestate, Maior postea haec diminu-

tio

tio et solemniter facta est per Capitulationem. Omnia autem limitationum, quae deinde accederunt, nulla est celebrior, et quae coimperium Statuum magis indubitatum redididerit, quam ea, quae pace Westphalica est sancta. Illud enim erat maxime idoneum tempus, quod Statibus offerri poterat, Imperatorem limitandi, amplioriisque sibi maiestatis partem vindicandi. Nec minus favebat Statibus illud tempus, quo, instigantibus Gallis, Elector Bauariae throno Imperiali admouebatur: nam cum Electores Imperatoriam dignitatem mox ad Austriacos reddituram esse facile perspicerent, quidquid ipsis e re Statuum fore videbatur, inferendum Capitulationi esse censuerunt.

§ XIV.

Vtrum Imperatoris auctoritati per hanc nostram sententiam aliquid detrahatur.

Reslat, ut disquiramus, an Coimperium Statuum defendendo, auctoritatis aut iuris aliquid Imperatori detrahamus. Sunt enim, qui hanc nostram sententiam Imperatori derogatoriam atque iniuriosam esse putent, ideoque malint pro monarchia pugnare, quam verum profiteri. Quos homines oportet feruili praeditos ingenio esse, qui, metu deteriti, nihil audeant dicere, nisi quod superioribus placeat: debemus enim, ut ait Thomasius^{e)}, de veritate esse sollici-

E 2

ti,

^{e)} CHR. THOMASIVS ad MONZAMB. Cap. VI. § I. p. 312.

ti, non de periculis, quae veritas creat, quae vti saepe
odium parit, ita saepe periculosa est. Sed quomodo tandem
cum Imperatoris iniuria potest haec sententia coniuncta esse?
Nam ex ipsis legibus fundamentalibus arguimus et demon-
stramus, penes Imperii Status coimperium esse, cosque id
iamdudum, et si non nomine, attamen re ipsa habuisse atque
exercuisse. Numquid ergo is detrahit Imperatori, qui ea
Statibus iura maiestatis communicata esse dicit, quae iis leges
Imperi solemnes communicauerunt? Quis hoc poterit crede-
re, nisi qui etiam has leges fundamentales in Imperatoris
auctoritatem iniurias esse crediderit?



Jena, Diss.; 1772-74



f

56.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE
FORMA IMPERII ROM. GERM.
DISSERTATIO

Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, CET.

P R O L O C O

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

RITE OBTINENDO

A. D. IX. MARTII CICIOCCCLXXXII.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICET

CHRISTOPHORVS GOTTL. HEINRICH

HISTOR. PROF. PVBL. ORD.

DEFENDENTE

IO. GODOFR. HASSE.

VIMARIENSI

SOC. LAT. IEN. AB EPIST.

I E N A E

APVD FICKELSCHERR. HAERED. ET STRANCKMANN.

CICIOCCCLXXXII.

